



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Tyanense Concilivm Catholicorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO  
CHRISTI  
365.

rescissionem Ariminensis Concilii sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipsi consensum. Auctores autem hæresis Arianae vel Aetianæ Valentem & Vrsacium, ceterosque eorumdem consortes, non nunc esse quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse, manifestum est.

## TYANENSE CONCILIVM CATHOLICORVM.

### NOTA.

\* *Tyanense Concilium.* ] Tyana est ciuitas Cappadociæ ad radices Tauri montis posita. Illo tempore, quo legati orientalium ex occidente discedentes in orientem venerunt, anno nimirum Christi 365. prædicto loco hæc Synodus a catholicis celebrata fuit. Eustathius episcopus Sebastia cum aliis collegis ad eam se conferens, Liberii pontificis, aliorumque occidentalium episcoporum communicationis epistolis ostensus, ad professionem fidei Nicænæ se obtulit, simulque iuxta mandatum & speciales literas Romani pontificis hæc de rescriptas, in sedem suam restitui petiit. Episcopi vero omnes Tyanae congregati, primæ sedis maiestatem & auctoritatem veriti, non modo eum catholica communione dignati fuerunt, sed etiam in sedem, a qua Acacianorum sententia deiectus fuerat, restituerunt. Receptus, sedique pristinae restitutus, relapsus est; quia fortasse, quod inquit Basilius, *hæc omnia simulate tantum actitauerit, Nicenamque confessionem ad decipiendum, larua dumtaxat loco usurpauerit.* Postquam enim Basilius epistola 74. ad occidentales scripta, vitam Eustathii, eiusque mores pene ab incunabilis summatim perstrinxisset, hæc ait: *episcopatu eiectus, propterea quod in Melitina Synodo depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitauit, eam videlicet, ut ad vos proficisceretur. Qua vero sint illi a beatissimo episcopo Liberio proposita, & ad qua consenserit, nobis clam est; nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur. Eam ubi Tyanae Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est. Iste itaque iam fidem eam, in quam receptus est, depopulatur, cumque illis facit, qui Homousion anathemate percellunt: deinde & heresi patrocinatur eorum, qui Spiritum sanctum spoliant diuinitate. Quoniam igitur istinc vires accepit ledendi ecclesias, ac publicande impietatis suæ fiducia, quam vos vidistis, ad subuersionem multorum usus est, necesse est ut isthinc quoque veniat malorum istorum correctio, scribaturque ecclesiis, quibus quidem conditionibus ad communionem susceptus sit. Simul vero adiciatur, quomodo iam mutata senten-*

Locus Con-  
cilii.Eustathius  
in sedem  
suam resti-  
tutus rela-  
bitur ad  
hæresim A-  
rianam.

Qui Con-  
cilio inter-  
fuerunt.

tia gratiam a patribus, qui tum erant, acceptam, irritam reddat. Hæc de Eustathio Basilius epist. ad occidentales. Fuerint hic idem Eustathius in Gangrensi Concilio damnatus, prolixè supra dixi in notis eiusdem Concil. Gangren. verbo *aduersus Eustathium*. Qui huic Concilio interfuerint, quidve in eo gestum sit, Sozom. lib. 6. cap. 12. his verbis recenset. *Eodem tempore dum Eusebius episcopus Casarea Cappadociae, Athanasius Ancyra, Pelagius Laodicea, Zenon Tyri, Paulus Emesa, Otreus Meletina, & Gregorius Nazianzi episcopus (pater hic erat Gregorii Theologi) & alii multi, qui regnante Iouiano Antiochia decernebant doctrinam, quod Filius sit Patri consubstantialis, tenendam esse: dum, inquam, isti omnes Tyanæ Concilium habent, literæ Liberii & aliorum episcoporum occidentis recitantur. Ex quibus permagnam capientes lætitiâ, scripserunt omnibus ecclesiis, ut tum decreta episcoporum occidentis, tum literas Liberii & aliorum episcoporum Italia, Africa, Gallia ad occasum solis spectantis, & Sicilia (horum enim literas quoque legati ex Concilio Lampfaceno ad eos missi attulerant) diligenter perlegerent: deinde numerum omnium (Concilium enim Ariminense multitudine longe superabant) secum subducerent; tum & doctrinam se illis & communionis socios aduincerent: deinceps ut in ea sententia se esse, suis ipsorum literis declararent: postremo ut ad certum diem, quem præstituerant, dum adhuc ver esset, Tarsi Cilicie in unum conuenirent. Atque hi quidem hoc modo ad conueniendum in unum locum se mutuo ipsi cohortati sunt.*

Basilius e-  
piscopatum  
Cæsariensem  
refugit.

Basilius, qui dum quæreretur ad episcopatum Cæsariensem, improuisa fuga sibi consuluit, creatoque Eusebio sibi parum æquo, vna cum Gregorio Nazianzeno siluas Ponti petiit, cum in solitudine agens, Eusebium episcopum Cæsareæ Cappadociae, ad cuius similitudinem fugiendam se in solitudinem receperat, audiisset, opportunum sibi visum est, ad eandem Tyanensem Synodum literas dare, quibus significaret nihil antiquius apud se esse, quam pacem cum omnibus exoptare. Quibus literis in Synodo perlectis effectum est, ut Eusebius Basiliam pacem rogantem suscipere: reuersus ad ecclesiam Cæsariensem cum ex eremo accersiuisset, & amicissime fouit. Vide Baron. anno 365. num. 28. & 29.

## EPISTOLA BASILII AD CONVENTVM TYANENSEM.

Basilius pa-  
cem quaerit  
cum suo e-  
piscopo Eu-  
sebio.

**P**ROFVNDÀ detegens & cordium consilia perscrutans Dominus dedit etiam humilibus prudentiam difficilem (vt nonnulli existimant) machinamentorum. Nihil igitur nos latuit, neque ex factis aliquid occultatum. Attamen nos neque videmus, neque audimus quippiam aliud, quam Dei pacem, & quæ ad ipsam maxime spectant. Si enim alii potentes atque magni sunt, suisq; vi-  
ribus

ANNO  
CHRISTI  
365.

ribus confisi: certe nos, qui nihil sumus, & parvæ aucto-  
ritatis, nunquam nos attollemus, vt in solitudine possi-  
mus rebus superesse, cum exacte sciamus nos magis vniuf-  
cuiusque fratrum auxilio indigere, quam altera manus alteri-  
us. Porro quod in ipsa corporis structura communio  
est necessaria, Dominus nos docuit. Cum enim hæc ipsa  
nostra membra respicimus, quod vnum non sibi ipsi ad  
functionem satis est: quomodo censebo, me ipsum mihi  
sufficere ad vitæ negotia obeunda? Neque enim pes tuto  
ierit, altero non subleuante. Neque oculus ita recte vide-  
rit, nisi alterum habeat socium, & cum eo vnanimiter vi-  
sibilibus se obiciat. Iam auditus exactior est, qui per v-  
trofque meatus vocem recipit: & multo validior appre-  
hensio digitorum communione.

Ad hæc nihil eorum vel quæ a natura, vel quæ ex insti-  
tuto recte peraguntur, sine consortis conspiratione perfici  
videmus, cum etiam deprecatio ipsa consonantes non  
habens, multo est inualidior. Ac Dominus dixit, cum duo  
vel tres vnanimis ipsum inuocant, in medio se illorum fore.  
Insuper dispensationem ipsam Dominus suscepit, vt  
per sanguinem crucis ipsius, siue terrena, siue cælestia  
pacificaret. Quare ob hæc omnia, in pace manere vitæ no-  
stræ residuos dies precamur; in pace esse dormitionem  
nostram optamus. Pro hac neque laborem effugere qua-  
lemcumque decreui, non humile quidquam sonare vel  
facere, non itineris longitudinem abhorrere, non aliud  
quid molesti detrectare, vt ex præmiis pacificat onem  
consequamur. Et si quis hæc docentes sequatur, hic opti-  
mus etiam precationis terminus existit: sin autem in di-  
uersum trahatur, ego quidem neque sic a meo iudicio re-  
cedam: singuli autem ipsimet suorum operum fructus in  
die retributionis agnoscent. Vale.